



**R. P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

Regnault, Valère <1543-1623>

Mogvntiæ, 1617

Praxis Fori Pœnitentialis Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri Svi
Mvneris. Tertiæ partis, Tomus Tertius, De Speciali Ratione Ivdicandi De
Peccatis Secvndvm practicam Theologiam Sacramentalem. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78477)



PRAXIS FORI
POENITENTIALIS,
AD DIRECTIONEM
CONFESSARII, IN VSV SACRI
SVI MŪNERIS.

Tertiæ partis, Tomus Tertius,
DE SPĒCIALI RATIONE
IUDICANDI DE PECCATIS SECVNDVM
practicam Theologiam Sacramentalem.

Auctore P. VALERIO REGINALDO, Burgundo Sequano, è Societate JESV.

PRÆFATIO.

THEOLOGIA practica tanquam ad curationem animæ comparata, sicut medicina ad curationem corporis, duplex consistit: vna moralis, posita in præceptis recte viuendi, tanquam regulis iudicandi de peccatis, prout animæ morbis: altera sacramentalis, posita in cognitione recti, debitiq; vsus sacramentorum nouæ legis, quæ Christus Dominus in sua Ecclesia instituit, tanquam pharmaca accommodata depellendis ipsis peccatis, & diuinæ gratiæ consequendæ ac conseruandæ; in qua consistit animæ sanitas: itemq; in cognitione censurarum, tanquam impedimentorum salutaris vsus eorundem sacramentorum. Ratio autem specialis, secundum eandem Theologiam iudicandi de peccatis nobis proposita, exigit vt consideremus, tum quæ vniuersè ad sacramenta ipsa spectant: tum quæ particulariter ad singula: tum demum quæ ad censuras. Ea autè attingemus potissimum, quæ pertinent ad vsum, tanquàm eam in quo peccare contingit. Quæ vero speculationis sunt, Theologis Scholasticis relinquemus bona ex parte, tanquam propria ipsorum: ideoq; ab ipsis tractari solita: cum Magistro in quartum sententiarum, & cum D. Thoma in parte, à quæst. sexagesima: & à plerisq; aliis: quorum (vt & locorum iuris canonici in quibus eadem materia tractatur) meminuit Henriquez in initio primæ partis suæ summæ, in qua accommodatè ad praxim quam habemus propositam, erudite eam ipsam materiã persequitur. Continebit vero tomus iste septem libros: quorum primus erit de sacramentis in genere. Secundus, de Baptismo. Tertius, de Confirmatione, Pœnitentia, & Extrema vnctione. Quartus, de Eucharistia. Quintus, de Ordine. Sextus, de Matrimonio, & septimus, de Censuris.

NAL
XIS
Par. III.